



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Decustatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

*L'aride de  
la toison  
proor.*

verat, vertici suo imposto, & pelle ea villosa circumdatum, alia pelle amictum Heroen admisisse. Et Saporis Regis gestamen celebrat Ammianus, Aureo capitis aretini figmento elaboratum. Quod & insigne militiæ, & quasi fodalitatis cuiusdam suæ, recentissima memoria Carolus fortissimus Burgundionum Dux, Caroli V. Imperatoris avus adscivit, aureum Arietis caput singulis pro gestamine imponendo, & Arietini capitis cognomento fodalitatem vocando, eam Tottionis aurei vulgo appellarunt, quod ea locutio caput arietinum lingua patria designaret.

## DEGUSTATIO. CAP. XXXVII.

*De Ariete  
signo cale-  
sti.*

Sed ut hæc, quamvis ad vetustatis imaginem, usumque facta, misla faciamus, appellat nos Aries ille toto cælo conspicuus, qui rerum temporumque divisionem, æquasque utrorumque portiones ostentat: uniformem toto anno diei noctisque partitionem, augmentum & decrementum æquilibrio semper appensum. Cur vero Aries huic sit dispensationi præfectus, ea affertur causa: quod proprium illi esse ajunt ab æquinoctio verno super dextrum latus incubare, veluti Sol quoque ad Septemtrionales, quippe dexteram ut Ægyptii statuunt, mundi regiones desecit: ab Autumnali vero æquinoctio sinistro incubat lateri, veluti etiam Sol in lævam declinare, & Australia signa occupare conspicitur. Pari propemodum ratione malorum semina ipsis fructibus inclusa, brumali die spontaneo motu converti in contrarias partes observatum: quippe quæ peracto jam omni maturitatis numero, natura opifice, quæ rerum omnium alrix est, retro cedere, & ad radicem, ad propaginem, ad specierum earundem progenerationem tendere videantur.

## PRINCIPIUM ANNI. CAP. XXXVIII.

Apud Astronomos Aries pro Anni principio capitur, & eo notatur hieroglyphico, variaque est ingeniorum sedulitas istius rei rationem asserere conantium: Hebræis præsertim nonnullis Libram potius caput asserentibus, quod par fuerit omnia perfecta, & seminibus facta summo ab opifice creati, eo vero tempore fruges omnes maxime maturuisse. Quod vero Aries inde locum occupaverit, ex lege factum ad illius temporis solemnitatem celebrandam, quo liberati sunt ex Ægypto. Sed quod ajunt tunc temporis nonnulli, quo mundus est genitus, Arietem cæli medium tenuisse: in mundi quippe vertice constituisse, quisnam id potuerit conjectare non video, cum in spherica cæli figura neque vertex, neque imum, neque ortus, neque occasus, qui eodem temporis articulo sint, iidem eodem momento gentibus omnibus dari potuerit. Nam nisi omnibus ea ratio gentibus inferviat, admittenda non est. Solem vero qui dicat in hoc vel illo signo fuisse, nemo non intelligat. Astronomi quidem fuisse in Ariete volunt, & Virgillii doctrina non parvam his auctoritatem adjungit, dum ita super verni temporis amenitate canit:

*Georg. lib. 2.*

*Non alios prima crescentis origine mundi  
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem  
Crediderim: ver illud erat, ver magnus habebat  
Orbis, & hybernis parcebat flatibus Euri,  
Cum primum lucem pecudes hausere virumque  
Terrea progenies duris caput extulit arvis,  
Immissæque fera silvis, & sidem celo:  
Nec res hunc tenera possent perferre laborem,  
Si non tanta quies irret, frigusque, caloremque,  
Inter, & exciperet cæli indulgentia terras.*

Quod vero Commentarii hujus finem Virgiliani carminis amenitate condire quaesierim, optime Lactanti, non inepte me fecisse arbitror, qui te forte gregalium rusticitate, styloque modoque pastorali, virum tam elegantem, offensum & delassatum suspicabar. Tu quicquid id fuerit, ut omnia amicorum soles, boni consule, & Pierium virtutis doctrinæque tuæ deditissimum, ut facis, ama.